

ANNOTATIO LEGVM

Francisci Philelfi in Annotationem legum apud ueteres scriptores crebrius commemoratarum ad **F**redericum Cornelium: Epistola præfatiua.

Franciscus Philelfus **F**rederico **C**ornelio **S**alutem.
Quod multarū legum mentionem factam inuenias: & apud **M**arcum **T**ullium **C**iceronem: & apud **T. L**iuium aliosq; ueteres scriptores: neq; quid legibus illis contineretur: aut quam ob causam lata fuerint: satis intelligas: ob eamq; rem quid ipse habeā certi scire cupias: non te neo diutius te suspensum. Itaq; leges eas quæ crebriores sunt magisq; necessariae: quo facilius & clarius ueterum oratorum atq; historicorum & ipsorum quoq; iuriconsultorū scripta locis suis comprehendant: hisce litteris subieci. **V**ale. **E**x **B**ononia: tertio Idus **A**priles: Millesimo quadringentesimo trigessimono.

Legum apud ueteres scriptores crebrius commemoratarum magisq; necessariarū: **A**nnotatio foeliciter incipit.

Lex **P**ompeia.

Gnaeus **P**ompeius strabo ueteribus incolis trans **P**adanis ius **L**atij dedit: & quod ceteræ coloniae latinæ habebant: id est ut petendi magistratus & ciuitatis **R**omæ ius adipiscerentur.

Lex **P**ortia.

Portia lege non licebat interfici ciuem **R**omanū: uerum uirgis uerberari. **H**oc autem significatur qd ea re tolleretur dignitas ciuilis: & redigeretur in seruum: quia tandem faciebat seruum.

Lex **F**abia.

Fabius adiecit poenā ijs qui nō certo numero ut ante fuerāt definiti deducerēt & sectarent candidatos ī campū comitiōꝝ tempore.

Lex **C**lodia.

P. Clodius **T**ribunus plebis legem tulit perniciosam. **L. P**isone & **G**abino cōsulibus: ne quis per eos dies quibus cum populo agi liceret: de cælo seruaret contra legē **F**usiā & **A**eliam.

Lex **C**inthia.

Cinthius legem tulit: qua cauetur antiquitus: ne quis ob causam orandam donum pecuniamue acciperet.

Lex **A**urelia.

Aurelius **C**otta prætor legem tulit quibus temporib; **V**erres a **C**i

APVD VETERES SCRIPTORES

cerone accusatus est: qua communicata sunt iudicia senatui & equi-
tibus Romanis & tribunis Aerijs.

Lex Opia.

M. Opius legem tulit: ne superfluo ornatu mulieres Romanæ ute-
rentur: neue pilentis: id est radis pensilibus uaherentur: neue plus
uncia in auribus appenderent.

Lex Pompeia

G. Pompeius magnus legem tulit: ut quæstores suffragio populi
ex ijs qui consules fuerant crearentur.

Lex Valeria.

Valerius Publicola legem tulit: ut nulli magistratui liceret corpus
Romani ciuis indicta causa condemnare: liceretq; damnatis ad po-
pulum prouocare.

Lex Aquilia.

Aquilus legem tulit de dolo: malo & fraude: de deceptiōe: de simula-
tione.

Lex Acilia.

Manlius Acilius Glabrio legem tulit de pecunijs repetundis sæue-
rissimam: qua ne comperendinari quidem reum sinit.

Lex Veconia.

Veconius legem tulit: ne quis census hoc est pecuniosus hæredem
unicam relinqueret filiam. Erat autem census ille: qui centum mi-
lia sestertium in professionem detulisset.

Lex Calphurnia.

G. Calphurnius Piso legem tulit de ambitu tulit suo consulatu: quæ præ-
ter alias poenas pecuniaria etiam poena fuerat adiecta.

Lex Gabinia.

Gabinus legem tulit: qua bellū **Gn. Pompeio** de persequendis **Pi-**
ratis datū est aduersus. **L. Trebellij** tribunū plebis intercessionē.

Lex Papia.

Papius ciuis Romanus legem tulit: ut peregrini urbe **Roma** uti p-
hiberentur.

Lex Latoria.

Qu. Latorius cum adolēscētes in contractibus circumueniri so-
lerent: poenam eorum deceptorī adiecit.

Lex Clodia. i.

Clodius tribunus plebis legem tulit annoniam: ut frumentū pplo qd' an-
tea fenis æris ac triētibus in singulos modios dabit: gratis dare.

Lex Clodia. ij.

Clodius idem tribunus plebis legem tulit de collegis restituendis:
quæ lex ex seruorum face constituta dicitur.

ANNOTATIO LEGVM

Lex Clodia. iij.

Clodius idem tribunus plebis legem tulit: ne quē censores in senatu legendo praterirent: neue qua ignominia afficerēt: nisi utriusq; censoris sententia damnatus esset.

Lex Iudiciaria Aurelia.

Aurelius Cotta Iudiciariā legem tulit: cum esset prator: qua communicata sunt iudicia senatui: & equitibus Romanis: & tribunis Aerarijs: ut ex ijs tribus ordinibus lecti iudices res iudicaret.

Lex Varia.

Qu. Varius tribunus plebis legē tulit: ut quāreret de ijs: quorum ope consiliove socij contra populū Romanū arma sumplissent.

Lex Cornelia. i.

Cornelius consul retulit in senatu: ut quā exterarū nationū legatis pecunia mutuo dareť usura turpiaq; & famosa ex eo lucra fierent: ne quis legatis exterarū nationū pecuniā expensam fœneraret.

Lex Cornelia. ij.

Cornelius idem legem tulit: ne quis in senatu legibus solueret: nisi senatores ducenti adfuissent: neu quis cum absolutus esset intercederet: cum ea de re ad populū ferretur.

Lex Cornelia. iij.

Cornel. idē legē tulit: ut pratores edictis suis ppetuis ius diceret.

Lex Licinia & Mutia.

P. Licini⁹ Crassus orator: & **Qu. Scauola** pontifex maxim⁹ idēq; orator & uir consultus: duo omniū sapientissimi consules legem de ciuib⁹ regundis tulerunt in eorū consulatu: cum summa cupiditate urbis Romæ Italici populi tenerentur: & ob id magna pars eorum pro ciuib⁹ Romanis se gereret: necessaria lex uisa est: ut in suā quisq; ciuitatis ius redigeretur.

Lex Iunia.

M. Iunius Siluius consul cum **Qu. Cæcilio Metello** Numidico legem bello Cymbrico tulit: quod diu praue simul & infœliciter gestum est propter diminuta militiæ stipendia.

Lex Manilia.

Manilius tribunus plebis legem tulit: qua **Gn. Pompeius** magn⁹ bellū aduersus regē **Ponti** **Mitridathen** extra ordinē gereret.

Leges Sacrate.

Post exactos reges anno. xvi. cum plebs propter nimiam potētiā dominationē in montem sacrum trans **Anienē** secessisset: & ibi armata consedisset: duos primos tribunos crearūt: qui deinde ad numerū. x. aucti sunt: & legē condixerunt: quibus suum in patres ius

APVD VETERES SCRIPTORES

tuerentur priusq̃ in urbem reuenterentur. Vnde & sacratae dicunt̃:
ad patrum plebilq̃ concordiam pertinentes.

Lex Cassia. i.

Cassius Longinus. L. filius legem tulit: qua populus per **Tabellā**
suffragium ferret. **G. Mario & G. Flacco** consulibus.

Lex Cassia. ij.

Cassius idem alteram legem tulit ad minuendam nobilitatis po-
tentiam: ut quem populus damnasset: cuiue imperium abrogasset
in senatu ne esset.

Lex Aurelij Cottæ.

Aurelius Cotta legem dedit: cum **Sylla** ad diminuendā plebis po-
tentia: multos cum ei magistratus ademisset: ut plebi liceret inter-
ceptos magistratus capere: & communicata sunt iudicia senatui &
equitibus **Romanis** & tribunis **Aerarijs**. Vnde & lex iudiciaria di-
cta est.

Lex Roscia.

L. Roscius Otho consul legē tulit: ut in theatro equitibus **Roma-**
nis ordines quattuordecim spectandi gratia darentur.

Lex Plotia.

M. Ploti⁹ Syllan⁹ legē tulit cū esset tribun⁹ plebis: **Gn. pōpeio Stra-**
bone: & **L. Portio Catone** cōsulibus: qua tribus singulæ ex eo nu-
mero quinos denos suffragio crearent: qui eo anno iudicarent: ex
eo factum est: ut senatores quoq̃ in eo numero essent: ut quidam
etiam ex ipsa lege.

Lex Satyra.

Satyra lex est quæ uno rogatu multa simul & uaria comprehendit:
ut uultifne: iubetifne: Vt cum **Iugurtha** bellum componatur: ele-
phantos tradat omnis: transfugas reddat uniuersos:

Lex Othonis.

Otho tribun⁹ plebis legē tulit: ne quis in ordine equestri spectatur⁹
sederet: nisi sestertia quadraginta milia possideret. Quod si contin-
geret quisquis esset: siue ingenuus siue libertus: inter equites specta-
re ei liceret in gradu. xiiij.

Lex Scatinia.

Scatinus legem tulit: qua puerorum cōcubitores graui supplicio
afficerentur: quos ἀρσενόκοιτασ arsenocœtas uocant.

Lex Iulia.

G. Iulius cæsar lege sanxit: ne adulteri forēt: deprehensi autem sup-
plicio dederentur.

Lex Mamillia.

Mamilius tribunus plebis legem tulit: ut quando res a nobilibus

ANNO TATIO LEGVM

aduersæ gestæ fuerant: etiam si ad magistratus gerendos admitterentur: quorum maiorem in Romana republica magistratus non exercuissent: huiusmodi aut homines noui appellantur.

Lex Sempronia.

Sempronius Grachus legem tulit: quæ frumentum e publico distribueretur populo Romano: quæ fumentaria dicta est.

Lex Hortensia.

Quintus Hortensius dictator cum antiquioribus temporibus **Patricij** plebiscitis nequaquam tenerentur: eam tulit legem: ut eo iure quod plebs statuisset & **Patricij** & omnes quirites tenerentur.

Lex Annaria.

Annariam legem appellant: quæ modum annorum finit: quibus magistratus capiendi potestas sit.

Lex Aelia & Fufia.

Aelius & **Fufius** tribuni plebis sua auctoritate legem tulerunt ne quis per eos dies quibus cum populo liceret: non nisi de cælo seruasset quippiam ageret.

Lex Aterina.

Lex Aterina constituit: ut cum mos priscus fuisset irrogandæ multæ: per magistratus ouis aut bouis nomine: ouis ære deno: bos autem ære centeno definiri intelligatur.

Lex Falcidia.

Falcidius legem tulit: quæ cauetur ne plus legare liceret quam lege **Cloelia**: ut emptorum bonorum est uncias nouem: idque ipsorum testatorum gratia prouisum est ob id quod plerumque intestati moriebantur recusantibus scriptis hæredibus pro nullo aut minimo lucro hæreditatis.

Lex Flauia.

Flavius inter iudicia publica constituit de plagiaris: cum quis $\pi\lambda\acute{\alpha}\gamma\iota\omicron\iota\sigma$: plagiaris: id est obliquis & insidiosis pollicitationibus seruum a domino: uel filium a patre subtrahit: uel etiam pecus.

Lex Iulia.

Iulius Cæsar legem de peculatu sanxit in eos qui rem uel publicam uel religiosam uel sacram furati sunt uel furantibus ministerium adhibuerint: uel qui furta scientes susceperint: quos uel capitali animæ aduersione uel deportationis poena puniri iussit.

Lex Cornelia.

Cornelius legem in eos tulit: quæ & testamētaria uocatur: qui testamentum uel alias tabulas falsas scripserit: signauerit: recitauerit: subiecerit: quiue signum adulterinum fecerit: sculpsit: expresserit: **Seruos**

APVD VETERES SCRIPTORES

quidē ultimo affecit supplicio:liberos autē deportatione.

Lex Pompeia.

Pompeius asperrimum crimen noua pœna parricidas persequi. Si quis parētis aut filij fata perpetraverit: siue clam siue palam: insutus culleo cum cane & gallo gallinacio: uipera & simia uel in uicinum mare uel in amnē proficeretur: ut inter fœrales angustias comprehensus omniū elementorum usu uiuus carere incipiat: & ei cœli superstiti terra mortuo auferatur.

Lex Cornelia.

Cornelius legem in eos tulit: qui homines occidendi causa cum tælo ambulent ultore gladio eos persequens. **T**ælum autem interpretatum est omne quod longe iaci potest: ut lapis: lignum: ferrū: από τοῦ Τέλωσ: apo tu telos: id est longe: sicut & **G**ræci βέλωσ: belos: quod sagittam significat: από τοῦ βάλειν: apo tu balein: quod significat iacere.

Lex Latoria.

Latorius ciuis **R**omanus legem cōdidit: qua cautū erat: ut si quis pupillorum bona diriperet: acerrimas pœnas lueret.

Lex Apuleia.

Apuleius legem tulit: qua cauebatur: si quis publicam maiestatem minuisset capitalis esset.

Legum apud ueteres scriptores crebrius cōmemoratarum magisq; necessariarū: Annotatio Fœlitter explicet.

Τέλωσ.

Das Buch ist von

Am 1. April 1885

Erhalten

von

86



